

Longè aliud quærunt. Principiò, cupiunt cognitionem Dei obtinere. Cupiunt in se veluti exem- A plari quodam elucescere, quis sit ille verus Deus. Hoc affectu fit, vt sancti dum in tentationibus sunt, nihil amplius metuant, si periclitandum sit, quàm diuini nominis obscuracionem, sub quo cõ- tinetur. Ita isti hoc potissimùm nomine ostendi in se gratiam Dei petunt, vt illius cognitio inde pro- pagetur ad reliquas gentes. Erant enim populus Dei, in quo qualis sit Deus, elucescit: perinde atq; in Filio Patris ingenium declaratur, & in suæ quisq; princeps ditionis gubernacione qualis sit co- gnoscitur. Nam vt populi perfidia & impietas ad contumeliam diuini nominis vergit: ita vicissim, si populus à Deo negligatur, ad hoc facit, vt ab impijs parum piè de Deo sentiatur.

2. Deinde non simpliciter dicunt, *Ad cognoscendum in terra Deum*: sed, *Ad cognoscendum in terra viam eius*. Viam Dei intelligunt rationem & consuetudinem, qua populum suum fœderis sui seruantem soleat summa fide ac bonitate tueri ac seruare. Sic Psalmo 25. omnes viæ Dei bonitas ac fides vo- cantur, erga eos qui fœdus ac testimonia eius custodiunt. Et huc pertinet, quod addit: *Et in omni- bus gentibus salutem eius*: hoc est, quàm sit potens, ac fidelis ad saluandum suos. Non loquuntur de ea bonitate Dei, & prouidentia, qua omnia in vniuersum gubernat & moderatur, de qua est Matthæi 5: Qui Solem suum oriri facit super, &c. sed quàm specialiter erga timentes se declarare solet. Ad monemur ergo, quid in Deo cognoscere debeamus, & ad quem finem omnia tendant, quæ in Scri- pturis sacris de inenarrabili bonitate erga Israëlẽ demonstrata passim leguntur: non ad hoc, vt se- cretiora Dei de essentia & substantia, & de inscrutabilibus illius iudicijs inuestigemus: sed vt quæ ad nostram salutem sunt commoda & necessaria, fideliter obseruemus & apprehendamus. Quare non viam Dei cognoscendam proponunt ex illius ira & indignatione aduersum delinquentes im- probos. Nemo bonus ex eo cognoscitur, quòd non naturaliter, sed per occasionem facit. Deus non irascitur naturaliter, sed per occasionem, vt mali puniantur. Bonus verò est naturaliter, non per oc- casionem & ad tempus, sed in sempiternum. Patris animus non bene intelligitur ex eo quòd irasci- tur filio, sed ex beneficentia manifesta erga filium. Quòd enim flagellat filium, ad tempus facit, & per occasionem: quòd verò benefacit & fauet, perpetuus est erga illum & naturalis affectus. Ita & Dei gratia erga populum suum, præsertim à rudibus, magis in beneficentia manifesta, quàm virgæ castigatione cognoscitur.

Ebr. 12.

3. Tertiò. Addunt etiam, à quibus cupiant cognosci viam ac salutem Dei. *In terra*, inquit: id est, ab omnibus terræ habitatoribus. Hoc apertius ponunt, cum subiungunt: *In omnibus gentibus sa- lutem eius*. Longè distant ab hoc affectu Iudæi, qui communicationem diuinæ cognitionis ita sibi solis vendicant, vt gentibus eam inuideant. Hinc erat illa æmulatio Iudæorum aduersus gentes, initio regni Christi. Quòd si ipsi veritatem agnouissent, & gloriam diuini nominis iuxta loci huius sententiam desiderassent, summo cum gaudio veritatem regni cœlorum, & iustam viæ ac salutis Dei cognitionem omnibus vbique terrarum gentibus apprecati essent. Sed quæruntur hîc, quomodo ex his quæ Israëlĩ diuinitus contigerunt, possit ingenium diuinæ bonitatis ac fidei à gentibus cognosci. Licet enim Scripturæ testimonio magnus fuisse legatur erga Israëlẽ Dei fauor, non tamen mox erga quosuis talis futurus credendus est, vt eadem sibi de illo sperare possint & gen- tes. Primùm qualis sit Deus, vt suprâ dixi, ex ijs agnoscitur, quæ erga populum suum declarauit. Deinde, quoniam immutabilis est, & personas non accipit, sed, vt Petrus ad Cornelium dicebat, in omni gente probat & acceptos habet sui timentes, potest non solum cognosci illius bonitas à gen- tibus in Israëlẽ, sed & sperari, si fide sese illi addixerint, & ab eo pependerit. Et ista fides & veritas Dei erga Israëlẽ olim declarata, nouissimis temporibus per Christum multò sese effudit copio- sius erga totum Orbem: vt cognitio salutis Dei, quomodo videlicet Deus sit saluandi omnium, a- gnita sit luculentissimè. Sic enim dilexit Deus Mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt quot. quot in illum credunt, non pereant, sed habeant vitam æternam. Præuidebat ista spiritus Prophe- tæ: ideoq; Ecclesiæ fidelium præcinenda proposuit.

Act. 10.

Ioan. 3.

## TERTIA PSALMI PARS.

Vers. 3.

Ioan. 17.

*Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.* Ista, & quæ sequuntur, ad tertiam Psalmi partem referenda sunt. Videntur autem hîc ipsum ponere cognitionis Dei finem, ad quem illa prospice- re debeat. Is est, vt ab omnibus laudetur ac celebretur Deus. Licet enim vitam æternam adferat vera Dei cognitio, vltimus tamen illius finis est laus Dei. Vnde & Apostolus Ephes. 1. omnem no- ui Testamenti gratiam, quæ per electionem Dei & Christi cognitionem est, ad vnum hunc finem, laudem videlicet gloriæ & gratiæ Dei ducit. Et meritò. Huc enim omnia dirigenda sunt, & quæ præsentem, & quæ perpetuam felicitatem ac vitam concernunt. Ad hunc finem omnia condita sunt. Quicquid huc non facit, planè diabolicum sit oportet. Est autem hic versus admodum em- phaticus. 1. Primùm per apostrophen ad Deum, in pronomine, *Te*. Quasi dicat: *Te celebrent populi, non alienos deos. Tu enim solus es verus Deus.* 2. Deinde in eo, quòd non dicunt, *Celebremus te Deus*: sed, *Celebrent te populi, & populi omnes*. Expriment enim hoc pacto desiderium pij peccatoris, quo summopere cupiunt in vniuersa terra ab omnibus totius Orbis populis laudari & magnificari Deum suum. 3. Tertiò per repetitionem, qua quater hanc particulam isto & versu quinto repetunt, quòd videatur non posse satis inculcari. Neque enim dixisse semel satis est, iuuat vsq; repetere.

## DE LAVDE DEI

OBS. 1.

Principiò videmus hoc loco, vnde oriatur affectus laudandi Deum. Ex eo nanque quod ver- su 2. dixit: *Ad cognoscendum in terra viam tuam, &c.* & mox tertiò subiungit: *Celebrent te populi Deus*:  
fatis

libi inuirt  
Proin  
Liquor  
lanana me  
Deinde  
predicari d  
scientia E  
una fabie  
celebrant  
illa laus  
primùm  
sio. Da  
uoluerant  
terrore. Et  
num bene  
ora dictio  
hoc loco re  
chil est ali  
des fauore  
nis Dei  
Letentur  
tem, qua ta  
commodu  
tes ac lauda  
gnoscendi  
autem ad j  
d & drigen  
tuncque m  
es id quod  
no & conse  
je ac maiel  
tem agere  
te qui hoc  
tum educa  
sed planè  
autem der  
Quòd au  
tum Deum  
est Domi  
mortibus  
hoo non in  
ma, expon  
terre popu  
tum deoru  
Terra de  
ne, cuius te  
mus, terra  
Dei. Per  
lunt, prædi  
poum Isra  
centur, qu  
omnes f  
cont, cum  
Appare  
tu fructus  
bre omne  
uipitur. A  
sed & Dei  
rant. Deu  
Nota, q  
mellitia &  
nore, & ex  
Est igitu  
om quod  
tu ignima  
te quid illa